

## MONASTERIUM SULZBERGENSE. 201

XXXIII. Ad hæc quoque tempora referuntur primordia Sulzbergen-  
 fis monialium cœnobii S. Cyriaco sacri, ad occidentales Nigræ Silvæ li-  
 mites siti. Henninges in theatro genealogico conditorem facit Cunzeli-  
 num Ergoviæ comitem circa an. 970. ubi eius frater Beczo itidem fun-  
 dator sit sepultus. Utrumque hunc, uti & Bertilonem ac Gebizonem, fi-  
 lios Guntrami divitis facit Guillimannus in Habsburgicis, ad fidem nem-  
 pe Heuteri, de Roo, & aliorum. Subdit vero ibidem: *qui hos omnes*  
*ætate & scriptis præcessit Iacobus Manlius tres tantum se reperisse variis*  
*ex documentis scripturisque Guntrami filios affirmat, Bezelinum aut Bötz-*  
*lin, ex antiqua, in qua depictus apud S. Cyriacum tabula, Birchtilonem,*  
*sive Berchilonem, Gebezonem aut Gebzonem, qui coniunctis opibus sancti-*  
*monialium monasterium Sulzberg condiderunt sub Ottone III. imp. ubi et-*  
*iam omnes sunt sepulti.* Gebzonem autem Gebhardi nomine in litteris fun-  
 dationis S. Cyriaci *Sulzbergæ* venire idem Guillimannus affirmat. Dum  
 vero idem mortem Beczelini seu Landoli aut Lanzelini *Sulzbergæ* in æde  
 capituli veteris sepulti ad annum 991. refert, ab eodem æque ac fratre  
 eiusdem Birchtilone monasterium istud Sulzbergenfe conditum fuisse per-  
 hibet. Iure igitur a P. Herrgotto in *Genealogia Habsburgica*, & a Schœpf-  
 lino in *Alsatia illustrata* vapulat, ac si eo solum ex fine Lantolum seu  
 Lancelinum Birchtiloni fratrem affinxerit ex patre Guntramo, ut Birc-  
 tilonem, Zaringiæ ducum adeoque & marchionum Badensium fatorem,  
 stemmati Habsburgico eo certius insereret. *At, infert Schœpfflinus, inser-*  
*tio hæc absque corruptione chartarum, imo faventibus chartis, potest lo-*  
*cum habere. Quid enim impedit, quo minus Lantolum illum, quem & tra-*  
*ditiones & necrologium Einsidensium Bertholdi comitis avum constituunt, ex*  
*communi scriptorum iuniorum sententia pro Kanzelino nostro reputemus?*  
*cuius filius forte Berchtilo ille, qui Sulzbergenfe cœnobium condidit, Ber-*  
*tholdorum Zaringiæ ducum vel ipse, vel certe per fratrem Gebehardum*  
*sator.* Idem Birchtilonis comitis chartam foundationis monasterii S. Cy-  
 riaci in Sulzberg, simulque Ottonis III. diploma donationis in codice  
 diplomatico historiæ Zaringo-Badenfis exhibet e tabulario Bada-Durla-  
 censi, quæ P. Herrgott separata ex codice diplomatico ecclesiæ Basileen-  
 sis edidit in codice probationum Genealogiæ Habsburgicæ. In qua qui-  
 dem charta Bircilo comitem se non vocat, bene vero in sequentibus  
 duabus. Leguntur ibi alia quoque diplomata data in comitatu Birchti-  
 lonis, quo suffragante Otto III. Imp. prædia quædam Sulzbergenfi mo-  
 nasterio conceffit.

SECVLUM  
X.Aliud eius-  
dem sexus  
Sulzbergenfe.Lib. IV. c. 1.  
p. 154.

L. c. p. 164.

T. I. L. II. c.  
9. p. 149.  
T. II. p. 466.

T. V. p. 5.

T. II. P. I.  
p. 95. seq.p. 82. 90. 91.  
& 92.

L. c. p. 96.

MART. GERBERTI NIGRÆ SILVÆ.

C c

XXXIV.